

3110.
2h.

JO. JACOBI
DE BERTHOLDI, M. D.

SAC. CÆS. REGIÆ APOSTOLICÆ MAJESTATIS
CONSILIARII ET PHYSICI OENIPONTI

DISSERTATIO

ANATOMICO - PHYSIOLOGICO - MEDICA

EXHIBENS PRIMAS LINEAS NOSOLOGICAS

MORBORUM
VENÆ PORTÆ.



VINDOBONÆ,
TYPIS JO. THOM. NOB. DE TRATTNERN
TYPOGRAPH. ET BIBLIOPOL. AULIC.

1777.

Pathol. spec.

690,2

*Mibi quo 2932
Hepatis morbi.*


*Res ardua, vetustis novitatem dare, no-
vis auctoritatem, obsoletis nitorem,
obscuris lucem, fastiditis gratiam, du-
biis fidem, omnibus vero naturam, &
naturæ suæ omnia. Plin. Hist. Nat.
Præf.*

*Non ergo sequor priores? facio, sed per-
mitto mihi, & invenire aliquid, & mu-
tare, & relinquere. Non servio illis,
sed assentior.*

SENEC. EPIST. LXXX.



DE
MORBIS VENÆ PORTÆ
DISSERTATIO
ANATOMICO - PHYSIOLOGICO - MEDICA

 Ea est humani corporis conditio,
ut juxta inditas sibi Leges, a
luce ut primum salutata, Mor-
tis stadium percurrere incipiat; Corpus
enim vivum in perpetuo consumptionis
statu degere, insignis Sanctoriana per-
spiratio, qua fluidissima de corpore
tam prompte decedunt: Calor insuper

A 3 96.



96. graduum (a) coagulabilia, & crassa ipsa liquida assidue resolvens, & reliquæ tot excretiones, ingens hoc naturale dispendium satis evincunt.

Verum vis ipsa vitæ firmas corporis partes destruere non desinit; actio enim cordis nunquam quiescens, in convexitates flexionum vasorum, impetu vehementi sanguinem projiciens, ea in rectitudinem exporrigit, & in flexionem sibi innatam centies millies, juxta magni *Halleri* calculum, (b) intra singuli diei spatium redire comperimus.

Sub tali ergo irrequieta frictione, & impetu quibus metalla duriora ipsa atteruntur, corporis nostri partes ex terra friabili glutine interposito cohærente compositæ, mirum quantum inde resolvi, & consumi debeant!

Per-

(a) Fahren. Thermometr.

(b) Physiolog. de Corde Cap. V.



Peracto vix nutritionis incremento, decrementum jam incipiens, Corpus humanum in statu quietis nunquam finit manere; perpetuo namque vasa elidi, solidarique pergunt; hinc, tum interna vi Cordis comparativa, tum partium externarum pressione, quæ cuique Opifici in frequentiori sunt usu, magis rigeſcunt: hinc cellulofæ telæ perpetuo deſtruuntur, glutenque ipſarum ſtamina committens ficcius, ætate increſcente, magisque terreſtre redditur. Humores nutriti, non applicati copioſiores ſecedunt: complanatæ Cartilagineſ intervertebralia, ſenſim Vertebras antrorſum contrahunt, ita ut corpus antea reſtūm, jam incurvatum, miſeram baculi neceſſitatem, ſeneſtutis labentis fulcri denique apportet.

Inſuper Arteriæ nimium rigidæ, & non raro cartilaginofæ ad ſecretionēſ

A 4

pro-



promovendas hebetiores fiunt, unde sanguis minus subactus evadens, terram ubique deponit: jam languet Spirituum secretio a nervosis tubulis obstructis, tremulusque senex jam fit sibi met ipsi gravis.

Pulmones minus explicabiles, Cordis dextri evacuationes minus recipiunt: circulatio undique imminuitur, omnia frigent: Cor undique resistentiis oppressum, grumescens jam sanguine, aliquandiu palpitans, oneri succumbens jam quiescit obrutum, denique, pallens, squalidusque factus, in somnum perpetuum delabitur homo.

Sic ad mortem naturalem itur. Ast cum ex mechanicarum Legum indole, & constantia, & sensibilitatis, sive irritabilitatis principiis, heu quot morbis, ægrotudinibus, & ærumnis stipata gemeret humana vita! factum est
quod



quod miseri Mortales, elementorum, ciborum, plantarumve injuriis simul expositi, auxilium propriis doloribus, naturæ instinctu, automatico impulsu sibi comparare niterentur.

Hinc Medicinæ exordia humano generi ferme coæva, Assyriis, Babiloniis, Caldæis, Ægyptiis, & Regibus ipsis, (c) sed a Græcis luculentius exculta apparuerunt; quamobrem assidua morbi, remediorum, & exitus, quæ detexerant, & notatis iis, quæ Ars, casus, aut natura erant feliciter moliti, ad alios morbos applicandi exinde indicationes eliciebant, & de his tutius pronunciabant.

Denique Hippocrates inclaruit. Verus hic Naturæ Minister, & Interpres proprias Antiquorum observationibus

A 5

ad-

(c) Clerc. Hist. Med. ubi de Horo Assyriorum Rege Medico.



addens , salutis & Vitæ Canones inconcuffis Legibus munitos nobis trans-
mifit. Nifi quod vana speculationum
exardefcente. Libidine , in varias
fectas difcerpta diu , & implicata ja-
cuerit Hippocratica Medicina.

Sane nobis , vel invitis fatendum ,
in hoc felici Litterarum sæculo cæteras
omnes , qua difciplinas , qua artes ,
non folum in priftinum splendorem ,
fuiſſe reſtitutas , ſed in dies magis , ma-
gisque excultas , novisque inventis or-
natas florere. Hinc multa cœpit in-
crementa & Medicina , novis medi-
camentorum utilium generibus , & me-
thodis ad morbos sæviores debellandos
inſtructa.

Nullibi tamen feliciter hæc ſtudia
ad ſummum perfectionis faſtigium eve-
cta miramur , quam in Antiquiſſima ,
& celeberrima hacce Vienneniſi Univer-
ſi.



litate a tot celeberrimis Viris, ac primum ab ILLMI L. BARONIS VAN SWIETEN immortalis memoriae, & nostris hisce temporibus a meritissimi ejusdem Successoris ILLMI L. BAR. DE STÖRCK Præsidio amplissimo, scriptisque-aureis illustrata.

Hæc sunt **MARIÆ THERESIÆ AUGUSTÆ** pia salutis monumenta, & sancta beneficia, quibus sub Ejusdem felicissimi Rēgni Auspiciis frui nobis datum est, unde Populos omnes in SUI admirationem raptos tum subditos, tum Exteros tantæ Munificentiae nunquam immemores maxime lætamur.

1. **Q**uemadmodum summus sapientissimus Opifex inexhaustum idearum, & adeo variæ inter se combinationis thesaurum largitus est Naturæ, ut in tanto hominum numero vix ullum corpus

pus



pus alteri perfecte simile produxerit, ita neque duos perfectæ æqualitatis morbos invenire hucusque licuit.

II. Artificiofissimam machinam corpus humanum ita factam, figuratam, & connexam esse, ut in hujus mirabili fabrica fulcimenta, columnas, vectes, trochleas, omniaque demum instrumenta, quæ juxta leges mechanicas certos quosdam determinatos motus harmonice queant exercere, adæquata prorsus analogia ostendit. *Clar. Boerhaavius* (d). Fluidas quoque partes intra firmas contineri, in motum determinari, misceri, immutari separarique non minori scientifica ratione demonstravit, hasque actiones Legibus Hydraulicis, & Hydrostaticis feliciter applicuit. (e)

III,

(d) *Instit. Med.* §. 40.

(e) *Ibid.* §. 41.



III. Hinc quam multis diversis modis singulæ istæ Machinæ alterari, & quæ numero infinitæ specificè differentiaë offendi possint, vix credibile. Unde tot rationes virium, mobilitatis, tensionis, cohærentiæ inter cujuslibet corporis instrumenta ad infinitum ferme variant.

IV. Causæ quoque internæ diversis individuis applicitæ, diversissimas impressiones, & effectus secundum peculiare cujuslibet habitudines producant. Porro tot combinationum seriem, ac numerum, quæ a totidem & adeo inter se oppositarum causarum connubio pro variis actionum in corpus humanum gradibus exurgunt, satis definire nunquam valebimus, nisi corporis humani prius perspecta per Anatomicen fabrica, ejusque actionibus, sive functionibus a Physiologia sagaciter desumptis.

V.



V. Corpus humanum est constans illud præcipuum objectum, circa quod Medicina perpetuo versatur. Hinc cum ex Cadaverum sectionibus, tot vitæ, & mortis phænomena, rationes & causas invenerint Anatomici, Nosologiam Anatomicam excolere solertissimi cœpere. Inter cæteros Clar. *Bonetus* (f) & Clar. *Morgagnus* (g) fundamenta Medicinæ solidiora jecere, effectuumque constantium & impressionum, quas morbi fere omnes in corpus relinquunt, observationi innixas Leges, & codices Reipublicæ medicæ suppeditarunt. Et revera, si fundamentis istis innixa non sit Medicina, tanquam vaga aliqua conjectandi Ars foret habenda, neque umquam Scientiæ nomen sibi vindicaret.

VI.

(f) Sepulcr. Anatomic.

(g) De causis, & sedibus morb. per anatomicen indagatis.



VI. Quamobrem, cum de Venæ Portæ morbis mihi breviter differendum proposuerim, a tam luminoso, quem Magni isti Viri nobis aperuerunt, tramite non deflectam.

VII. Venam Portæ arbori non inæquata prorsus analogia comparavit *Galenus* (h), cujus rami ad Hepar, radices vero ad abdominalia Viscera distribuarentur. Chylificationis Organum & Sanguificationis esse Venam Portam excogitarunt plurimi ex Veteribus. Portæ Vasa flumini haud male comparata voluit *Glissonius* (i); sed vera Chylopogesi, & bilis secretionem inclarescentibus, systemata hæc omnia corruere.

VIII. Nos vero juxta recentiores Anatomicos Antiquorum sententias pro-

(h) Lib. de Venis.

(i) Anatom. Hepatis Cap. XXV.



prope conciliantes Venam Portæ ita describendam non abs re censemus.

Sita est itaque Vena Portæ in prima Abdominis regione. Hujus truncus, inter Hepar & Lienem Capfulæ *Glissonii* inclusus sub Ventriculo jacet pone Intestinum Duodenum. Lato sinu in adultis, & litteris impallescentibus subjectis sese in Hepar immergit, & in quinque ramos insigniores diradiatur. Ex horum primo vena Umbilicalis excurrit, quæ in Nato coalescit, dum in foetu copioso gurgite ad Cavam fluxisset.

Radices duas, seu ramos inferiores prodit Venæ Portæ truncus, quorum dexter & latior constituit venas Mesentericas, quæ per tot innumeræ propaggines ad totam Mesenterii & Intestinorum Aream divaricantur.

Epiploicas insuper & hemorrhoidales internas suppeditat, quorum mi-

ra-



rabiles plexus, exosculationes, arcus, flexuras, & interserta spatia *Eustachius* & *Hallerus* pulcre delineaverunt. (k)

Radix vero, seu ramus sinister inferior, qui altero minor est, in Splenicam definit, qui ut primum Lienem ingressus, in tot fere innumeros penicillos mirabiliter subdividitur.

Ex hoc prædicto ramo Venæ Gastro-Epiploicæ dextræ, & sinistræ, Coronariæ Ventriculi, & Pancreaticæ derivantur, Gastricæ vero a trunco Portæ ipso (licet non æque in omnibus subjectis evidenter) emergunt.

Venæ Portæ Arteriarumque Cæliacarum tot sunt cum Cava conjunctiones, ut harum associationes, & Anastomoses in *Hallerianis*, *Eustachianis*,

B

Ruy-

(k) Tab. Anat.



Ruyschianisve Iconibus nitide conspici possint.

Triples est quidem vasorum genus & ordo, quo Vena Portæ progreditur, Arteriæ Cœliacæ sociæ, Vena Cava, & Porta ipsa. Horum officia, & directiones hujus systematis physiologicè facilius investigabimur.

IX. Ex hac Venæ Portæ descriptione facile assequimur, ipsius munus non esse viscera nutrire, cum quibus communicat; cum in singulis, quæ respicit, visceribus satis dissimilem distributionis ordinem suscipiat.

X. Equidem reticulata est ad *Intestinarum* ambitum, ramosque quaquaversum effundit grandiores, qui tamen in capillamenta faceffunt: arcuatur in *Mesenterio* per *Lienem* in longiores trunculos, mox in fasciculos, & penicillos aggerrimos divaricatur: in *Pan-*
create



create radiose producitur: in *Omento* singularem retis speciem portendit, cujus vasa tortuosa, & crebriores eorum anastomoses, areæque interpositæ magis ellipticæ parantur: in *Hepate* distinctas sine plexibus, & sine osculationibus conducit ramificationes in *Acinos* desinentes: tandem ad *Ventriculum* variis distributionum modis complicatur.

XI. Constantes igitur hujusmodi tot disparium figurationum, directionumque habitudines secundum varias animalis partes in eadem sanguinis principali via, seu *Porta*, satis evincunt non ad sola vehendi per partes, & revehendi simpliciter sanguinis communia vitæ officia destinari.

XII. Sanguis igitur *Omenti*, qui oleum ab *Epiploicis*, *Ventriculi*, qui aquam saponaceam a *Gastricis*, *Lienis* peculi-



ariter paratus a *Splenicis*, vapor abdominalis alcalescens ab omni Intestinatorum superficie a *Mesentericis*, nec non semiputridum acre liquamen de ipsis Alvi fœcibus in Crassis intestinis ab *Haemorrhoidalibus* internis resorptum: omnia hæc sunt menstrua, quæ in truncum Venæ Portæ advehuntur, ibique commiscentur, & vi urgentis a tergo sanguinis, & Septi transverti auxilio viscerumque simul circum agentium ope, sanguis per ramos Venæ Portæ trajicitur ad Hepar, deinde in Acinos quosdam hexagoneos, & absque medio folliculo in ductus biliarios innumeros, ac tandem in ductum hepaticum definit, & transcolatur; unde secretio Bilis; Angulo dein aucto huic junguntur Cysticus, qui bilem ad Cystim, & Colledochus, qui hepaticam, & stas temporibus cysticam Bilem

lem



lem in Duodenum Intestinum obliqua
via deffert.

XIII. Erit itaque Venæ Portæ mu-
nus sanguinem Bilis menstruis reffer-
tum ad Hepar adferre.

XIV. Maximam Hepatis a Corde
distantiam esse Ruyschianæ injectiones
apprime demonstrarunt, cum ad nulla
alia viscera præterquam ad Hepar tam
longo, lentoque circuitu deductus san-
guis appellat, etenim per prolixas ar-
teriarum ambages, postea, per am-
plissimas Viscerum substantias, & Arc-
as, hinc per longas venosas productio-
nes, & innumera Venæ Portæ Capilla-
menta cogitur defluere.

XV. Quodque in hujus ad Hepar
itineris habitudine maxime attenden-
dum occurrit, arteriosum primo,
deinde venosum, & demum veluti de-
nuo arteriosum fieri Sanguinem, it-



ut convecta liquida bis ex lato in angustum, seu a basi conica, ad apicem pellantur.

XVI. His accedunt flexuræ alibi viscerum insolitæ, atque angulorum myriades, Cæliacarum propaginibus, tum in Venæ Portæ ramificatione ad Hepar, tum in cæteris Abdominis Visceribus in arcus, spiras, reticulos, & plicas divaricatis, unde tot in tanto inflexorum vasorum in minus spatium coactorum contextu rationes impetus, resistentiæ directionis &c.

XVII. Hæ itaque resistentiæ, ut primum sanguinis biliferi ad Portam advecti, & ad Hepar propellendi rationes invicem proportionatas excedunt, illico derogant a celeritate sui fluxus ordinaria; retardatio in Portæ trunco, insignioribusque ipsius ramis subsequitur, unde Anxietas illa sum-

mæ



mæ tristitiæ comes , & ægritudinis ,
molestissimum circa Stomachum sensum
faciens , quæ *Venæ Portarum Anxietas*
proprie audit.

XVIII. Quo validius autem resi-
stentiæ istæ directis viribus impellentis
liquidi sese opposuerint , attritus calor,
rarefactio, diathesis inflammatoria, *He-
patalagia* exurgent. Hanc in duo ge-
nera distinguemus , alteram Arteriis
ubique communem , alteram vero ipsi
Venæ Portæ omnino peculiarem , cum
hæc Arteriæ munere fungatur , licet
nulla arteriosa membrana , vel arterio-
sa oscillatione donata ; neque vero
ulla ratione potest arteriarum oscilla-
tiones imitari , cum ipsius latera hepa-
ticæ substantiæ undique adhæreant.

XIX. Verum pro dispositionis in
Hepate prægressæ , pro materiæ motæ
ac inflammantis , tandemque pro causæ



impellentis varietate effectus varios hæc Portæ inflammatio exerit. Hinc Cæliacarum, & Portæ propaginibus juxta inflammationis leges immeabili humore infarctis, in tumorem pro liquidi urgentis attritu elevatur Hepar, sic Ventriculum, cui naturaliter incumbit, gravius comprimit, & *Cardialgias, Nauseas, Vomitus varigenos, Anorexias*, nec non a contiguitate Diaphragmatis *Paraphrenitidem* producit.

XX. Sanguine itaque inflammatorio sic infarctâ Vena Porta, patet omnium humorum per Abdominalia subjecta viscera circuitum interturbari, ex quo *inflammatio* ad Intestina, & ad Mesenterium per Cæliacarum conjunctiones diro sæpe incendio propagatur. Sin autem in molem magis increscens Hepar excedat, Colledochum ductum & vicinia tunc valide comprimet, & *Icterus*

rus



rus multiplex summe pertinax inde comparebit.

Tales Hepatis, & Portæ inflammationes, seu infarctus, nisi prompta resolutione tollatur, in *tumores*, *abscessus*, & *vomicas* hepaticas rapidius degenerant, quæ omnia mala conjecta prius, quam post cognita feliciter curantur.

XXI. Venam Portæ *Portam malorum* Veteres dixerunt, a qua non acuti solum, sed præcipue chronici morbi egrediuntur. Acutis ita breviter superius recensitis, & perlustratis, ad chronicos pergemus.

XXII. Et primo, Sanguis in Venæ Portæ truncum advectus peculiari-ter considerandus, cum tot diversorum huc delatorum fluidorum commixtio peragi debeat (§. XII.) Hæc imminui, augeri, depravarique potest pro ho-



rum configuratione , & heterogeneitate , mora , vel resolutione auctis. Siquidem oleum animale nimis crassum, vel parcius , vel alteratum a suis causis factum , vel ubi alcaliescentia Liquamina a Mesentericis spissiora suppeditarentur , illico lentiori morbofo disponitur sanguis. Cumque in Hepar molle laxum & incontractile a Cordis directione valde distans Viscus (§. XIV.) sit deferendus , obstructionem primum sine ullo symptomatum strepitu subdolum (pro sua mobilitate plus minusve deperdita) in *Scirrhum* degenerantem in Hepate , nec non in Mesentericis exterioribus glandulis, infarctus tactum fallentes formari videmus. Scirrhus itaque ductus Hepatici, & coeterorum compressione sua externa , Bilem in Cystide cogit , quæ huc diu detenta , inspissataque calculosam indolem subit; magnos enim



enim *Calculos* non solum in vesica fel-
lea, sed et in Hepate ipso, & quod ta-
men raro, *polyposas concretiones* in
ipsis Venæ Portæ Ramis latentes Ca-
daverum sectio demonstravit.

XXIII. Quod si a Moralibus mor-
bis, seu animi pathematibus, aliisque
de causis fluidiores, mobiliioresque san-
guinis partes a circulatione, perspira-
tioneve auctis abreptæ disperdantur,
humores tunc superstites lentescunt, &
atrabilariam, terrestremque diathe-
sim inde contrahunt; Hinc *Melancholia*
subsequitur, de qua neminem Medico-
rum præter Illmum LIB. BAR. VAN
SWIETEN tam docte scripsisse legitur. (1)

XXIV. Sanguinis ergo biliferi men-
struis sic depravatis, Bilem ipsam quo-
que depravari necessario consequitur.
Cum vero Bilis inter humores nostri
corporis inquillinos ad acredinem, &

a

(1) Comment. ad Boerh. de Melancholia.



a subfoetido de fœcibus ipsis in crassis Intestinis remoratis per hæmorrhoidales, & mesentericas venas resorpto Liguamine in putrescibilem indolem facillime vergat, sanguini per diuturnum Icterus admixta, hunc tanta vi dissolvat, ut immedicabilis ferme *Hydrops* exoriatur.

XXV. Quoniam vero a diuturnis vigiliis, exercitiisque immodicis, & validioribus, nec minus a spasmodica Hepatis, viscerumque affectione in irritabilibus Hypochondriacisve sensibilibus subjectis exuberare visa est Bilis, *Icteri accidentales*, *Colicæ nervosæ*, *Meteorismi*, cæteraque Phœnomena sub violenta spasmodica, qua Bilis attigua promptuaria præmuntur actione mirifice excitantur.

XXVI. Inter Bilis exuberantis affectus *Cholera morbus* attendenda, ab au-
cta



ſta præfertim in gracilibus, & picro-
cholis constitutionibus Bilis ſecretione,
unde *porracea* & *æruſinoſa* acerrima ſu-
perne, inferneque erumpit. Hujus ta-
men viror, & æruſinoſita, non ab
auſta Hepatis ſecretione ſolum, verum
etiam ab humoribus depravatis, & ſa-
burris in Intestiſtis aggeſtis, ac denique
ab impura Chyloſi venit ſimul auſpi-
canda.

XXVII. Sin autem evenerit, quod
citius, ac ferocius partes aliquas deter-
minatas talis depravata Bilis invadat;
Pleuritides, *Peripneumanias*, *Phreniti-
dem*, *Eriſypelata*, *Colicas*, *Rheumatis-
mos*, *Arthritides vagas*, *Chronicas* &
Sorores ab hoc bilioſo fomite per febres
putridas, bilioſas excitata exurgent.
Ex quibus vel male judicatis, vel in-
congrue tractatis morbis, *Phthiſes Pul-
monales*, *Bilioſæ*, *Hepaticæ*, *Renales*, *Me-
ſen-*



sentericæ, Stomachicæ, Tussi fere indomabili, Febre hectica, & Atrophia comitibus ut plurimum lethalibus provenire frequentissime observamus.

XXVIII. Ubi vero per oppositas adductis causas Bilis secretio imminuatur, vel vapida, & minus actiuosa evadat, *Cacochymicæ* variæ inde subsequuntur: languida succedet Spirituum secretio, ac omnes præterea digestionis, assimilationis, nutritionisque actiones languescere continget.

XXIX. Denique cum summam Radiorum, seu ramorum Venæ Portæ in ratione proportionata luminis ejusdem trunci resultare demonstrent Physiologi, patet, quot impetus in vasa liberiora rationes ab obstructorum renitentia auctæ deducendæ occurrant. Hinc *Hæmoptysis, Cordis palpitatio, Aneurysmata, Respirationis læsiones, Haemorrhagiæ, Ca-*

ta-



tameniorum suppressiones, *Hæmorrhoidales* affectiones, *sanguinis Vomitus* habituales, totque complicata morborum phænomena, mirum quanta alternant inconstantia!

XXX. De hisce omnibus, & singulis morbis eorumque ultimis differentiis Methodo Anatomico-Nosologica indagatis Tractatum integrum publici juris faciam. Ad quod præstandum eo vel magis excitor, atque impellor, quod Amplissimus Vindobonensis Medicorum Senatus qualemcumque hanc Dissertationem meam gravissimo suo iudicio, atque auctoritate probavit. Ita AUGUSTÆ genio salutifero simul obsequi mihi sacrum!



